


Christi secundum carnem Genealogia.

○○○○ Uplcem in Christo admittendam ebe generatio-
 nem, unam aternam ex Patre sine matre, tem-
 ○○○○ poralem aliam ex Matre sine patre, fide divinā
 ○○○○ certum est. Aternam nobis exhibet Joan. cap. 1.
 ○○○○ dum ita adversus Ebionitas exorditur: *in princi-*
pio erat Verbum. Temporalem adornant Matth. cap. 1. &
 Lucas cap. 3. Hic ascendendo à Joseph usque ad Adam
 & Deum; ille descendendo ab Abraham usque ad Joseph.
 Hic incipit v. 23. *Et ipse Jesus erat incipiens quasi anno-*
rum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli;
 ille concludit v. 16. *Jacob autem genuit Joseph virum Ma-*
rie, de qua natus est Jesus. Locum hunc tamquam ir-
 reconciliabilem objecit olim Julianus apostata: cur nempe
 Matthæus Joseph dixerit filium Jacob, & Lucas eum fi-
 lium appellarit Heli. Ast non intelligens, inquit S. Hieron.
 in cap. 1. Matth. consuetudinem Scripturarum, quod
 alter secundum naturam, alter secundum legem ei pater
 sit. Hunc conciliandi modum præ cæteris amplectimur,
 quia S. Th. iudice 1. p. q. 31. a. 3. ad 2. verior est. Chris-
 tus itaque duplici jure filius Davidis est; secundum natu-
 ram, quod expresse Matthæus; juxta legem, quod of-
 tendit Lucas. Quia tamen Christus Rex est & Sacerdos
 nutu superno contigit, ut regium genus sacerdotali stirpi
 jungeretur, atque ab utrisque, Regibus ex parte patris,
 Sacerdotibus ex parte matris nasceretur, S. Th. in 4. dist.
 3. a. 1. q. 3. ad 4. Ecce doctrinam in schema redactam.



Quia verò Magnus Augustinus lib. 2. de doct. Christ.
 cap. 28. monet, dicens „ per Olympiades & Consulum
 „ nomina, multa sæpe quærentur à nobis, & ignorantia
 „ consularis, quo natus est, & quo passus est nonnullos
 „ coegit errare. „ Hinc, quæ de his ad rem nostram ma-
 jores passim scripto tradidère, præmittere placuit.

(3)
*Ad Concordiam Evangelicam introductio, & deim
 prosecutio Chronologica.*

V. C.	OL.	E. J. J. A.		
681	176			
Urb. Cond.	4	Ere Julianæ	Imp. Augusti	
706	183 1			Cfs. { M. TERENT. LUCULLO VARRONE, CAJO CASSIO VARO. Ex patre Antipatro, matre Cy- pron nomine nascitur Herodes magnus. Josephus lib. 14. antiqui- tatum cap. 3.
				Cfs. { C. JULIO CÆSARE II., PUB. SERV. VAT. ISAUROICO. Antipater, qui, referente Jos. lib. 1. de bello cap. 8. item lib. 14. antiq. cap. 15., jam per Cæsarem Dynasta & procurator Judææ decla- ratus fuerat, Herodi secundo (na- tu ex filiis) Galilæam curandam commisit, etiam tum valde ado- lescenti, nec excedenti, ait Jos. ibidem cap. 17. annum 15; lege ta- men 25.; mendum enim in textum Josephi irrepsisse, suadent varia.
709	183 4	1		Cfs. { C. JULIO CÆSARE IV., M. ÆMILIO LEPIDO. A Kalendis Januarii numeratur annus primus ordinationis sive correctionis Kalendarii Romani per C. Julium Cæsarem. Censorinus in lib. de die Natali cap. 20.
710	184 1	2	1	Cfs. { C. JULIO Cæsare V., M. ANTONIO. Idibus Martii in senatu per Brutum & Cassium occiditur C. Julius Cæsar. Post necem Julii, Cæsaris nomen assumpsit C. Octa- vianus Augustus, Julii ex sorore nepos. Hinc multis scriptoribus initium Imperii Augusti. Jos. lib. 1. de bello cap. 8.
714	185 1	6	5	Cfs. { DOMITIO CALVINO II., C. ASSINIO POLLIONE. Herodes à Senatu Romano Rex Judææ declaratur. Jos. lib. 14. an-

V. C. OL. K. J. J. A. tiq. cap. 26. Hinc prima Regni Herodis Epochā.

717 185 9 8 Cfs. { M. VIPSANIO AGRIPPA ,
4 LU. CANINIO GALLO.

Per Herodem , interceptā Jero-
lymā , devincitur Antigonus , prin-
ceps de sanguine Machabæorum to-
tiusque gentis Judaicæ ultimus. Jos.
ibid. cap. 28. Hinc secunda Regni
Herodis Epochā. Jacobæum Gen.
49. adimpletur Oraculum.

723 187 15 14 Cfs. { AUG. CÆSARE III. ,
2 M. VALERIO MESSALA.

In pugna Actiaca de M. Anto-
nio trium-viro triumphum repor-
tat Octavianus Cæsar Augustus. Jos.
lib. 15. antiq. cap. 6. & 7. Item Dio
lib. 51. Et hinc alii Imperii Au-
gusti initium ducunt.

724 187 16 15 Cfs. { AUG. CÆSARE IV. ,
3 M. LICINIO CRASSO.

M. Antonius in Ægypto refu-
gus moritur in sinu Cleopatæ Re-
ginæ Ægypti de Ptolomæorum
sanguine ultimæ , quæ ipsa etiam
metuens , ne à victore Cæsare Au-
gusto in triumpho duceretur , aspi-
dis morsu periit.

Eodem anno Herodes properavit
Rhodum , ut illic Cæsari occurre-
ret . . . admissusque ad colloquium ,
tūm maximè ostendit animi magni-
tudinem &c. Jos. lib. 15. antiq. cap.
10. Hinc quibusdam tertia Regni
Herodis Epochā : sed minùs rectè.

731 189 23 22 Cfs. { AUG. CÆSARE XI. ,
2 C. N. CALP. PISO.

Herodes coram populo mentem
suam de construendo templo ape-
rit : absolvit autem magnam exte-
rioris templi partem , annis octo ;
reliqua verò structura duravit us-
que ad tempora Neronis , laboran-
tibus in eo 18000. operariorum. Jos.

(5)
U. C. | OL. | E. J. | J. A. | A. E. V. lib. 20. antiq. cap. 8.

748 | 193 | 40 | 39 | 6 Cfs. { D. LÆLIO BALBO ,
3 | { C. ANTISTIO VETERE.

Regnante in Judæa Herode, mittitur mensē septembri Angelus Gabriel ad Zachariam Sacerdotem de vice seu familia Abiæ, ut prædiceret, filium, qui in utero matris sit sanctificandus, ipsi ex uxore Elisabeth sterili nasciturum: sed cum angelicis dictis fidem renuisset, loquendi usu privatus, obmutuit. Paucis abhinc diebus concipitur Joannes. Luc. 1. à v. 5. usque ad 25.

Mensē martio, ut habet antiqua traditio, annuntiarum ab Angelo Gabriele Dei Verbum Virginis Mariæ, jam tum Josepho nuptæ, utero concipitur. Paulò post Maria Verbo Dei plena è civitate Nazareth profecta est absque Josepho comite, & magnâ festinatione ivit in civitatem Juda, verosimilius Hebron, visura cognatam suam Elisabeth uterum à sex mensibus gerentem, mansitque cum illa quasi mensibus tribus; adeoque usque ad nativitatem Joannis Baptistæ; quâ peractâ reversa est in domum suam. Ibid. v. 26.-80.

Joseph, qui hactenus mysterium ignorabat, videns Mariæ uterum intumescens, statuit occultè dimittere eam; sed in somnis admonitus ab Angelo, accepit, seu retinuit conjugem suam, quam jam mente repudiaverat: non tamen cognovit eam. Matth. 1. v. 18-25. Adimpletur famosum illud Isaïæ 7. Oraculum: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium* &c. Ibid.

Occasione edicti per Cæsarem Augustum Romanorum Imperatorem promulgati, ut describeretur universus orbis Romanis subjectus, ascendit Joseph in Bethlehem, priscam Davidis Regis familiæ sedem, ut eo in oppido, in quo juxta Michææ Oraculum 5. cap. verus Messias nasci debebat, describeretur cum Maria uxore sua gravida, & jam partui proxima. Cum autem non inveniretur eis locus in diverforio, contulerunt sese in speluncam brutis animantibus destinatam. Luc. 2. v. 1-7.

Concordiæ Evangelicæ prima pars

complectens ea, quæ contigerunt à nativitate usque ad Christi baptismum.

U. C. | OL. | E. J. | J. A. | A. E. V. { AUG. CÆSARE XII.,
749 | 193 | 41 | 40 | 5 Cfs. { L. CORN. SULLA.
4

Nascitur mundi Salvator 25. decembris; & mox salutatur à Pastoribus. Ibid. v. 7.-20

Octavâ à nativitate die, qui erat 1. januarii, in stabulo

U.C. | OL. | Æ. J. | A. J. | A. E. V. circumciditur, & JESUS, id
est, salvator, vocatur. Ibid. v.
21.

Die à nativitate decimâ
tertiâ, seu 6. januarii à Magis,
quos stellâ duce ex Arabia fe-
lice venisse arbitramur, ado-
ratur. Matth. 2. v. 1-12.

Quadragesimâ, id est 2. fe-
bruarii in templo offertur, &
per Simonem, virum proba-
bilius laicum, ac Annam pro-
phetissam palam Messias de-
claratur. Luc 2. v. 22-38.

Post hæc Joseph admonitus
in somnis, cum matre & pue-
ro Jesu fugit in Ægyptum: ad-
impleri enim debebat, quod
dictum erat per Oseam 11. *ex*
Ægypto vocavi filium meum.
Matth. 2. v. 13-15.

Sparso interim rumore mi-
rabili, quæ in templo con-
tigerant, vidit Herodes se à
Magis, quos fallaci stellâ de-
ceptos putaverat, esse illusum:
quapropter iratus, vanoque
timore, ne Regno spoliaretur,
perculsus, jussit occidi pueros
masculos, qui nati fuerant
tempore biennii, quod antè
apparitionem stellæ effluxe-
rat. Ibid. v. 16-18.

750

194

42

41

4

Cfs. { C. CALVISIO SABINO,
RUFO seu RUFINO.

Moritur Herodes Magnus,
Ascolonita, Antipatri filius;
cum regnasset post interfectum
Antigonum annos 34, post-
quam autem Rex à Romanis
declaratus fuerat 37. Jos. lib.
17. antiq. cap. 10. item lib. 1.
de bello cap. ult.

Herode mortuo, Regnum
Judææ dissectum fuit in 4. Te-
trarchias. Archelao cessit Ju-
dæa propriè dicta. Herodi An-
t.

(7)
U.C. | OL. | E.J. | J.A. | A.E.V.

tipæ Galilæa: Hic tandem obtinuit nomen regium & insignia, sicut & Herodes Agrippa senior, hujus ex fratre Aristobulo nepos, hujusque filius Agrippa junior, qui Romanos postea juvit in expugnatione Jerosolymæ. Philippo autem fratri eorum Ituræa & Trachonitidis regio. Lysaniæ exterio Abilina. Jos. lib. 17 antiq. cap. 13. Item Luc. 3. v. 1.

Sacra familia de Herodis morte & pueri Jesu securitate è coelis monita, ex Ægypto redit in terram Israel; inde ut declinaret furorem Archelai tunc temporis in Judæa pro Herode patre suo regnantis, in Nazareth Galilææ civitatem: ubi deinceps stabile figit domicilium. Matth. 2. v. 19-23.

E. V.

Cfs. { CAJO CÆSARE,
L. ÆMILIO PAULO.

Hic annus, à quo Æra Vulgaris seu Dionysiana initium sumit, concurret cum anno Christi 5.; adeoque Æra Vulgaris quadriennio solido posterior est vero & propriè dicto Natali Christi Domini: unde annus, quem decurrimus propriè 1777. est.

Cfs. { M. ÆMIL. LEPIDO,
L. ARRUNTIO.

Jussu Cæsaris mittitur Archelaus Viennam in exilium. Dio lib. 55. Item Jos. lib. 17. antiq. cap. ult.; ipsiusque facultates per Cyrinum seu Quirinium Syriæ præsidem rediguntur in fiscum. Quo peracto procurator Judææ, in provinciam Romanam reductæ, substituitur Copo;

754 195 46 45

Æra Vulgaris

759 196 51 50

U. C. OL. E. J. J. A. E. V. J. nius. Jos. lib. 18. antiq. cap. 1.

761 196 53 52 8 Cfs. { FURIO CAMILLO ,
4 S. N. QUINCTILIANO ,

Cum factus esset Jesus an-
norum duodecim , sublato jam
omni ab Herodiadibus metu ,
ductus est à parentibus ad
Paschæ solemnitatem , & triduo
amissus reperitur in Templo
inter Doctores. Luc. 2. ̄.
41-50.

Vitam Christi ab anno 12.
usque ad 30. , quo baptismum
suscepit , paucis verbis com-
plexus est Lucas ibid. ̄. 51.
& 52. ; videlicet , quod paren-
tibus obediverit , quodque in
omnibus sapientiæ & virtutis
operibus juxta incrementa æ-
tatis profecerit. Cæterum vi-
tam non omnino austeram , sed
moderatam ac socialem Chris-
tum duxisse , artemque fabri-
lem lignariam exercuisse , pas-
sim tradunt Patres.

764 197 56 55 11 Cfs. { M. ÆMIL. LEPIDO ,
3 T. STATIL. TAURO.

T. P. Lege per Consules lata ,
postulante Imperatore , Tibe-
rius , privignus Augusti , prin-
ceps , collega Imperii , consors
tribunitiæ potestatis assumitur ,
& provincias cum Augusto com-
muniter , æquo jure in omnibus
provinciis exercitibusque ad-
ministrat. Ita Suetonius , Ta-
citus , Vellejus Paterculus Ti-
berii à latere historicus ocula-
tus , Dionysius Alexandrinus
geographus sub Augusto & Ti-
berio principibus , Dio Cassius ,
Clemens Alexandrinus , Ter-
tullianus. Unde hinc procon-
sularis Imperii initium & an-
ni Tiberii à S. Luca rectè de-
sumuntur.

(9)
U.C. | OL. | Æ. J. | J. A. | E.P.

767 | 198₂ | 14 | 58 | 4

T. A.

I

Tib. Aug.

778 | 201_I | 25 | 12 | 15

Cæterum correctionis Julia-
næ annos deinceps omitto,
qui facile deprehendi possunt,
ad Æ. V. annum datum ad-
dendo dumtaxat 45. annos;
tot enim annis correctionem
Julianam Æram vulgarem an-
tecessisse ex chronologia nostra
compertum fit.

Cfs. { SEXTO POMPEIO,
SEXTO APULEIO.

Moritur Augustus Impera-
tor Nolæ in Campania die 19.
Augusti, postquam regnasset
57. annis & aliquot mensibus.
Jof. lib. 18. antiq. cap. 3. Hinc
initium Imperii *Augusti* Ti-
berii.

Cfs. { M. ASINIO AGRIPPA,
C. CORN. LENTULO

Hujus anni initio venit in
Judæam Procurator Pilatus;
Jof. lib. 18. antiq. cap. 8.

Anno quinto decimo Imperii
(proconsularis) *Tiberii Cæsa-*
ris (qui inchoatur à 28. Au-
gusti, quo die solemniter videtur
Tiberius ab Augusto in colle-
gam Imperii assumptus ante
annos 14.) *procurante Pontio*
Pilato Judæam . . . sub prin-
cipibus sacerdotum Anna (alias
Anano, quem teste Jof. lib.
18. antiq. cap. 3. deposuerat
gratus prædecessor Pilati) *fac-*
tum est verbum Domini super
Joannem Zachariæ filium in
deserto, & venit in omnem re-
gionem Jordanis baptizans &c.
Porro Joannes indutus erat
veste asperâ, de pilis camelo-
rum confectâ. Esca autem ejus
erant Locustæ; animalia nota,
quæ saltando & partim volando
progrediuntur. Luc. 7. 1-18.
Matth. 3. 7. 1-12. Marc. 1. 7. 1-8.

Concordiæ Evangelicæ secunda pars

complectens ea, quæ contigerant à Christi baptismo usque ad
miraculum de vino factum in nuptiis Canæ Galilææ.

U. C.	OL.	Æ. V.	T. A.	T. P.	Cfs.
779	201	26	13	16	} LENT. GETULICO, C. CALV. SABINO.
	2				

Die 6. Januarii baptizatur Jesus à Joanne in Jordane curren-
te anno ætatis 30. Christo baptizato mox cœli, aerei, aper-
ti sunt; Spiritus S. in vera columba descendit; & vox Pa-
tris, uti in transfiguratione: *Hic est Filius meus dilectus* &c.
audita est. Matth. 3. v. 13.-17 Marc. 1. v. 9.-11 Luc. 3. v.
21.-23.

Tunc, hoc est immediatè post baptismum ductus est Jesus
in desertum à Spiritu S., ut illum vinceret in deserto, qui
Adamum vicerat in Paradiso: undè iisdem etiam tentationi-
bus ille tentari voluit, quibus hic tentatus fuerat. Itaque
cum jejunasset 40. diebus & totidem noctibus *possea*, adeoque
non ante, esuriit; accedens autem tentator, ut exploraret
an reverà homo ille foret Deus, dixit: *dic ut lapides* &c.
Matth. 4. v. 1.-11 Marc. 1. v. 12. & 13. Luc. 4. v. 1.-13.

„ Credimus, inquit Doctor Angelicus in cap. 2. Joan. Lect.
„ 1. & 2., quod eodem die, quo Dominus baptizatus est,
„ revolutò anno factum fuerit miraculum de vino, in quo
„ quidem anno nil aliud legitur Dominus fecisse, nisi quod
„ dicitur Matth. 4. de jejunio in deserto & tentatione à Diabo-
„ lo, & ea, quæ Joan. 1. refert de testimonio Baptistæ &
„ conversione Discipulorum; & postea revolutò anno propè
„ Pascha Joannes fuerit decollatus, & quod ab isto Paschate,
„ circa quod Joannes fuit decollatus, fuerit unus annus usque
„ ad Pascha, in quo Christus passus est. Unde oportet aliud
„ Pascha à Baptismo Christi, usque ad miraculum de vino,
„ intermedium esse, de quo nullus Evangelista facit men-
„ tionem, & sic secundum quod Ecclesia tenet Christus tribus
„ annis & dimidio prædicavit. Ex quo facilè colligi potest,
„ quæ S. Th. commentaria in Concordiam Evangelicam
adornantis fuerit mens.

Juxta quosdam ad hunc annum etiam pertinent incestuosæ
Herodis Antipæ nuptiæ, de quibus vide Jos. lib. 18. antiq.
cap. 7.

Legatis Judæorum ad se missis respondet Joannes Baptista,
præclarissimæque de Christo dat testimonia. Quare duo è
Discipulis ejus sequuntur Christum, Joannes Evangelista, ut
putatur, & Andreas, qui statim adducit Simonem fratrem
suum. Sequenti die Christus volens exire in Galilæam vocat
Philippum, qui deinde attrahit Nathanielem, virum omni-
bus numeris absolutum, à Bartholomæo tamen probabiliter
distinctum. Joan. 1. à v. 15. usque ad finem.

Concordiæ Evangelicæ tertia pars

complectens ea, quæ contigerunt à nuptiis usque ad decollationem Joannis Baptistæ.

U. C.	OL.	Æ. V.	T. A.	T. P.	Cfs.
780	201	27	14	17	M. LICIN. CRASSO, L. CALP. PISONE.
	3				

Die 6. Januarii nuptiis in Cana Galilææ, quarum sponsum fuisse Joannem Evang. minimè arbitramur, interest Christus, primumque facit miraculum. Joan. 2. v. 1.-11.

Post hoc descendit Christus Capharnaum: sed ibidem non mansit longo tempore, quia instabat Pascha. Joan. 2. v. 12. & 13.

Christus secundum celebraturus Pascha ascendit Jerosolymam. Ementes & vendentes Templo expellit: Rogatus autem de vindicatæ auctoritatis signo, signum Resurrectionis suæ pollicetur eximium, dicens: *solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: Quare Judæi dictum Christi de Templo manu facto erroneè intelligentes (erat enim intelligendum de Templo corporis sui) replicarunt: *quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc*, subaudi, Herodianum, & tu &c. ibid. v. 14.-22.

Propter mirabilia, quæ Jesus Jerosolymis faciebat, multi in eum crediderunt: inter hos fuit Nicodemus, quocum nocturnum de necessitate tum baptismatis, tum fidei in Christum sermonem habuit. Ibid. v. 23.-21. cap. 3.

Joannes baptizat in Ennon; Christi Discipuli in Judæa. Inter Judæos & Joannis Discipulos dissensio oritur: confutitur Joannes; quæstio per ipsum dextrè deciditur. Joan. 3. à v. 22. usque ad finem.

Paulò post incarceratur Joannes Baptista, eò quod Herodem Antipam ob adulterium cum Herodiade, fratris sui Philippi, uxore, commercium reprehendisset. Matt. 4. v. 3.-11. Marc. 6. v. 17.-29. Luc. 3. v. 19. & 20.

Cum audisset Jesus, quod Joannes simulante Phariseorum invidia, traditus esset; simulque cognovisset perægrè ferre Phariseos, quod ipse plures Discipulos faceret, quàm Joannes, reliquit Judæam & abiit pro secunda vice in Galilæam. Matth. 4. v. 12. Marc. 1. v. 14. Joan. 4. v. 1.-3.

Transiens, autem per Samariam, mulierem vulgò Samaritanam, multosque alios convertit. Joan. 4. v. 4.-42.

Indè digressus venit primò, inquit S. Th. in cap. 4. Matth., in Nazareth; sed sui eum non receperunt. Luc. 4. v. 14.-30.

Jesus itaque expertus, quod propheta non sit acceptus in patria sua, relicta Nazareth, descendit Capharnaum. Ibid. v. 31.

In Cana, quæ erat secus viam, quæ Nazaretho ducit Capharnaum, sanat Reguli filium. Joan. 4. v. 46.-54.

Capharnai figit domicilium: hinc adimpletum, quod dixerat Isaias 9. *Terra Zabulon & terra Nephtalim* &c. Matth. 4. v. 13.-16.

Ibi statim , ait S. Th. loco mox citato , curat Dæmoniacum , de quo Marc. 1. v. 23.-27. Item Luc. 4. v. 31.-37.

Exinde , cum præcursor jam suo functus esset officio , cæpit Jesus prædicare palàm scilicet & au duc. Matth. 4. v. 17.

Ambulans autem juxta mare Galilææ seu Tiberiadis , quod aliàs stagnum Genesareth dicebatur , semel atque iterum vocat Petrum , Andream , aliosque duos fratres Jacobum & Joannem Luc. 5. v. 1.-10. Matth. 4. v. 18.-22. Marc. 1. v. 16.-20.

Cum his ingressus Capharnaum socrum Petri febricitantem aliosque multos sanat ægrotos. Marc. v. 29.-34. Luc. 4. v. 38.-41. Matth. 8. v. 14.-17.

Interim cum inflaret dies festus , puta Scenopegiæ vel Tabernaculorum , ascendit Jesus Jerosolymam , ibidemque ad piscinam probaticam sanat in sabbatho languidum. Joan. 5. v. 1-15.

Judæis illud factum criminantibus respondet , sibi competere potestatem & vitæ & omnis judicii , subaudi visibiliter peragendi &c. Ibid. à v. 16. usque ad finem.

Christus in Galilæam reversus jubet ire trans fretum. Tempestatem , in mari exortam sedat. In regione Gerasenorum duos dæmoniacos quorum uni nomen Legio erat , liberat ; dæmones permittens intrare in bis mille porcos , qui statim in mare se præcipitarunt. Marc. 4. v. 36.-16. cap. 5. Matth. 8. v. 18.-33. Luc. 8. v. 22-36.

Ad instantiam Gerasenorum rursus transfreta t , & veniens in civitatem suam , nempe Capharnaum , sanat paralyticum per tectum demissum. Inde egrediens ad mare vocat Matthæum , aliàs Levi , è telonio. Matth. 8. v. ult. & 9. v. 1.-17. Marc. 2. v. 1.-22. Luc. 5. à v. 18. usque ad finem.

A Littore maris Christus discedit suscitaturus filiam Jairi : in via sanat Hemorroidam è Cæsaræa Philippi oriundam , & domi filiam duodennem à morte suscitatur. Matth. 9 v. 18-26. Marc. 5. à v. 22. usque ad finem. Luc. 8. à v. 41. usq; ad finem.

Transiens indè Jesus , duobus cæcis visum reddit. Exin dæmoniacum mutum curat. Matth. 9. v. 27.-34.

Christum propter miracula , quæ ubique faciebat , sequuntur turbæ multæ : Christus autem videns turbas ascendit in montem : in oratione pernoctat : ex Discipulis eligit 12. Apostolos , ad quos ac turbam longum sermonem habet , christianæ perfectionis compendium. Matth. 4. v. ult. item toto cap. 5. 6. & 7. Marc. 3. v. 13. Luc. 6. à v. 12. usque ad finem.

Descendens è monte in via versùs Capharnaum , mundat leprosum. Matth. 8. v. 1.-4. Marc. 1. v. 40. usque ad finem. Luc. 5. v. 12. & seq;

Urbem ingressus paralisi liberat servum Centurionis : hujus , esto gentilis , fidem extollit suprâ fidem omnium , quos hætenùs sanaverat. Matth. 8. v. 5.-13. Luc. 7. v. 1.-10.

Capharnaum discedens ivit ad civitatem Naïm , & propè

hujus oppodi portam refuscitat filium viduæ Luc. 7. v. 11.-17.

In enim Joannes suorum Discipulorum infirmitati ac ignorantie consulere volens, e carcere mittit duos ad Christum, ut ipsum interrogarent: *tu es, qui venturus es?* id est, qui juxta vaticinia prophetarum expectatur venturus, scilicet Messias. Cum Christus se Messiam probasse Discipulis; præclara coram turbis de Joanne dedit testimonia, dicens: *non surrexit inter natos mulierem major Joanne Baptista*; nec immerito; etenim hic vidit, quem Antiqui videre desiderarunt, hic ostendit præsentem, quem illi venturum prophetaverant: fuit ergo plusquam propheta. Nihilominus Christus animare volens fideles, ut conentur obtinere regnum Cælorum, subjungit: *qui autem minor est, in cælo, major est illo, Joanne*; licet maximò sancto in terris. His peractis taxat impœnitentiam Judæorum, maxime Corozaim, Bethsaidæ, & Capharnai. Matth. 11. v. 1. & seq; Luc. 7. v. 18.-35.

Circà hoc tempus videtur contigisse historia mulieris peccatricis, quam cum sorore Lazari & Magdalena confunden-
dam arbitramur. Hæc occasione confutat per parabolam de duobus debitoribus Pharisaum Luc. 7. v. 37. usque ad finem.

Christus Capharnaum revertitur: ubi sanato Dæmoniacò cæco & muto; Pharisaos eâ occasione opera Spiritus S. calumniantes, refellit. Matth. 12. v. 22.-45. Marc. 3. v. 22.-30. Luc. 11. v. 14. & seq;.

Adhuc eo loquente ad turbas *ecce mater ejus & fratres* stabant foris. De matre nulla dubitatio est, ait ad hæc verba S. Th., quin sit B. V. Maria. De fratribus, rejectâ hæreticorum opinione, dicit: dicuntur fratres, quia consanguinei: scilicet filii Cleophæ, qui fuit frater Josephi, sponsi B. Virginis, ut ex Egesippo, qui Apostolorum tempori fuit vicinus, testatur Eusebius lib. 3. hist. Eccles. cap. 11. Matth. 12. v. 46. usque ad finem. Marc. 3. v. 31. usque ad finem Luc. 8. v. 19.-21.

Capharnaum egressus ad mare è navi parabolis, Seminis, Zizaniorum, Sinapis, Fermenti, Thesauri, Margaritæ, & Sagenæ docet turbas. Matth. 13. v. 1.-53. Marc. 4. v. 1.-35. Luc. 8. v. 3. & seq;.

Post dictas parabolas ivit in patriam suam; sed sui eum rursus non receperunt: undè curatis ibidem paucis infirmis, pergit circuire vicos Galilææ, suppeditantibus vitæ necessaria mulieribus, inter quas erat Maria Magdalena, de qua septem dæmonia, subaudi strictè dicta, exiverant. Matth. 13. à v. 54. usque ad finem. Marc. 6. v. 1.-6. Luc. 8. v. 1.-3.

Videns verò turbas tamquam oves sine pastore, ad prædicandum &c. mittit Apostolos, variis quidem mandatis, ast in illa dumtaxat missione observandis, instructos. Marc. 6. v. 7.-14. Luc. 9. v. 1.-6. Matth. 9. v. 35. usque ad finem cap. 10.

Concordiæ Evangelicæ quarta pars

complectens ea, quæ contigerunt à decollatione Joannis Baptistæ usque ad ascensionem Christi in Cælum.

U. C.	OL.	Æ. V.	T. A.	T. P.	Cfs.
781	201	28	15	18	
	4				

{ AP. JUNIO SILANO,
P. SILIO NERVA.

Decollatur Joannes. Herodes Christi famam audit, & quisnam sit ambigit. Marc. 6. v. 14.-29. Luc. 9. v. 7.-9. Matth. 14. v. 1.-12.

Ex missione redeunt Apostoli, cum quibus Christus secedit in desertum trans mare Galilææ; ubi pascit 5000. virorum quinque panibus & duobus piscibus. Sub vesperam iussit Apostolos transfretare, & ipse fugit in montem, unde quartâ vigiliâ noctis veniens sedat tempestatem. Math. 14. v. 13.-34. Marc. 6. v. 30.-53. Luc. 9. v. 10.-18. Joan. 6. v. 1.-22.

Exiens navi in terram Genesareth sanat omnes malè habentes, etiam fimbriæ tactu. Matth. 14. v. 34. Marc. 6. v. 53.

Alterâ verò die in synagoga Capharnai occasione patrati miraculi de panibus, longo sermone tradit admirandam illam doctrinam de pane cœlesti, seu de venerabili Eucharistia. Joan. 6. v. 22. usque ad finem.

An Pascha, quod erat à Baptismate tertium, Christus celebraverit Jerosolymis? disputatur. Negat S. Th. in cap. 6. Joan. lect. 1.

Christus itaque in Galilæam ambulans, Scribas & Phariseos reprehendentes Discipulos, tum quod illotis manibus manducarent, tum quod in sabbatho secundo primo, id est, à secundo die Azymorum primo, spicas vellerent, graviter redarguit. Ipse quoque in alio sabbatho manum aridam sanat. Marc. 2. à v. 23. usque ad v. 5. cap. 3. Item 7. v. 1.-23. Matth. 12. v. 1.-13. Item 15. v. 1.-20. Luc. 6. v. 1.-10.

Cum Pharisei cum Herodianis inivissent consilium, quomodo Christum perderent; è Galilæa digressus in fines Tyri & Sydonis filiam Syrophenisæ à dæmonio liberat; atque inde per medios fines Decapoleos discedens venit ad mare Galilææ, & oblatum sibi surdum & mutum, multosque alios infirmos sanat: deinde turbæ se sequentis misertus, septem panibus & paucis pisciculis 4000. virorum cibatur. Matth. 15. v. 21.-38. Marc. 3. v. 6. & seq. Item 7. à v. 24. usque ad v. 9. cap. 8.

Dimissâ turbâ ascendit in naviculam & venit in fines Magedan, & Dalmanuthæ; ubi Phariseis & Sadducæis signum de cœlo petentibus, signum de terra in Jona præfiguratum, scilicet Resurrectionis, dandum prædicit. Matth. 15. v. 39. usque ad v. 4. cap. 16. Marc. 8. v. 10.-12.

Transfretans rursus, Discipulos docet cavendum à fermento Phariseorum & Sadducæorum, quod est hypocrysis. Et cum venisset Bethsaidam, cæco extra vicum ducto, visum

sensim restituit. Matth. 16. v. 5.-12. Marc. 8. v. 13.-26.

Discedens inde venit in partes Cæsariæ Philippi ; in viâ autem interrogabat Discipulos , dicens : *quem dicunt homines esse filium hominis ?* Auditis desuper variis hominum opinionibus , respondit Petrus : *tu es Christus , filius , naturalis , Dei vivi.* Præclaram hanc confessionem remuneraturus Christus , dixit : *tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* A veritate aberrant , qui pronomen relativum *hanc* ita restringunt aut ad fidem Petri aut ad Christum , ut Petrum ipsum exclusum velint. Matth. 16. v. 13.-20. Marc. 8. v. 27.-30.

Post hæc prædicat Passionem. Objurgat Petrum. Hortatur Discipulos ad sui sequelam. Matth. 16. v. 21. usque ad finem. Marc. 8. v. 31. & seq.;

Interim sex diebus à laudata Petri confessione elapsis , assumit Jesus Petrum , Jacobum & Joannem , & transfiguratus est ante eos in monte Thabor. Apparuerunt quoque Moyse & Elias ; hic in corpore proprio , ille in corpore appropriato S. Th. 3. p. q. 45. à 3. , loquentes cum Christo de excessu , quem completurus erat ; hoc est de morte , quæ sanæ amoris excessus fuit , quam propè Jerosolymam subiturus erat. Matth. 17. v. 1.-13. Luc. 9. v. 28.-36. Marc. 9. v. 1.-12.

Sequenti die de monte descendens ejicit dæmonium è Lutanico. Deinde prætergrediens cum Discipulis adjacentes Galilææ civitates , pervenit ad urbem suam Capharnaum : ubi Didrachma ab Imperatore impositum pro se & Petro solvit. Luc. 9. v. 37.-45. Marc. 9. v. 13.-32. Matth. 17. v. 14. usque ad finem.

Horum occasione contentionem inter Discipulos de primatu exortam , comprimit advocato puero ; ac plura de vitando scandalo , de modo correptionis fraternæ , de condonandis invicem offensis disserit , ad hanc rem exemplo Regis ineuntis rationem cum servis , adducto. Matth. toto 18. cap. Marc. 9. v. 33. usque ad finem. Luc. 9. v. 46.-50. Item 17. v. 1. & seq.;

Cum jam impleri inciperent dies assumpti muneris , prædicationis , festumque Scenopegiæ instaret ascendit in Judæam non ampliùs in Galilæam reversurus. In itinere , cum Samaritani negassent ei hospitium , reprimit in Discipulis vindictæ cupiditatem. Dein Samaritanum obvium cum novem aliis à lepra sanat. Insuper volentem sequi non suscipit ; alterum autem vocat , nec permittit ut primum sepe-liat patrem ; tandem tertium quomodo sequendum sit arantis exemplo docet. Luc. 9. à v. 51. usque ad finem. Joan. 7. v. 2.-13. Item Luc. 17. v. 11.-19. Matth. 19. v. 1. Marc. 10. v. 1.

Festo Scenopegiæ , quod octo diebus protrahabatur , medio comparet , & docet in templo tantâ efficacîâ , ut ministri

à Primoribus missi ad Christum capiendum , caperentur ipsi ejus eloquio : unde cum in montem Oliveti vespere recessisset, reversus manè mulierem in adulterio deprehensam è Judæorum manibus in terra scribens liberat. Historiam hanc canonicam esse scripturam , ipsa etiam antiquitas testatur. Hæc occasione Jesus iterum docet in Gazophylacio , ostendens Judæos esse ex patre diabolo , se verò filium Dei , atque ante Abraham extitisse. Quare Judæi rebelles eum tamquam blasphemum lapidare voluerunt , sed ipse se abscondit , & exivit de templo. Joan. 7. à v. 14. usque ad finem cap. 8.

Egressus è templo hominem à nativitate cæcum illuminat. Miraculi gloriam Pharisei multis technis laborant Christo detrahere ; sed is , qui cæcus fuerat tot rationibus ipsos confudit , ut respondere non potuerint. Dixit autem inter alia : *hoc enim mirabile est , quia vos nescitis unde sit & aperuit oculos meos : sumus autem quia Deus peccatores non audit* , nempe ad hoc , ut per verum miraculum peccata sua & errores confirmet. Restè ; vera enim miracula in confirmationem erroris fieri nequeunt. Hinc tritum illud Erasmi in diatribe de lib. arbitr. *nullus eorum* , Lutheranorum & Calvinistarum , *adhuc extitit , qui vel equum claudum sanare potuerit*. Occasionaliter multa disserit de Pastore bono , de mercenario , de ovibus suis , seu prædestinatis. Joan. 9. v. 1. usque ad 21. cap. 10.

Post hæc egressus Jerosolymis geragrat Judæam & per eam mittit 72. Discipulos , instruens eos ferè similibus , quibus antecederet Apostolos instruxerat , præceptis. A missione reversos docet modestiam , patrique suo gratias agit. Dein scribam arrogantiorum docet , quis ejus proximus sit , exemplo Samaritani ab Jerosolymis in Jericho descendentis &c. Luc. 10. v. 1. - 37.

Paulò post in Bethania hospitio exceptus Mariæ otium Marthæ negotiis præfert. Deinde orationis formulam , quam docuerat Apostolos , edocet Discipulos parabolâ ostendens perseveranti oratione omnia impetrari. Luc. 10. v. 38. usque ad 13. cap. 11.

Invitatus ad prandium à Phariseo , multiplex væ in Phariseos pronuntiat exprobans , ipsos esse reos omnis sanguinis justi , qui effusus est à sanguine justii Abel usque ad sanguinem Zachariæ , qui periit inter altare & Ædem. Hic Zachariæ fuit filius Joiadæ Pontificis : utpote jussu Joæ Regis Juda lapidatus in arrio Domus Domini &c. 2. Paralip. 24. v. 21. Post hæc roborat Apostolos contra persecutiones. Non vult se Christus immiscere in dividenda fratrum hæreditate. Per parabolam Divitis revocat ab avaritia. Hortatur ut lumbi præcingantur. Quis sit fidelis aut infidelis dispensator , ostendit. Verbo varia præstat : Quamvis & aliis locis & occasio-

nibus horum pleraque dicta sint. Luc. 11. à v. 37. usque ad finem cap. 12.

Postea cum ei nuntiatum esset de Galilæis , hoc est Judæ Galilæi successoribus . de quibus Jos. lib. 18. antiq. cap. 1. & 2. , quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificiis eorum , id est , quos Pilatus , dum sacrificabant jussérat occidi , itaut sanguis eorum misceretur sanguini hostiarum quas offerebant ; provocat omnes ad pœnitentiam , ne instar ficûs infructuosæ excidantur. Deinde Mulierem octodecim annis inclinatam in sabbatho sanat. Luc. 13. v. 1. & seq.;

Christus ex Peræa , quæ sub ditione Herodis erat , per castrum Judææ tendens in Jerusalem , cum rogaretur , an pauci essent salvandi , docet per angustam portam nitendum esse , cujus ostio semel clauso frustra pulsarent. Deinde Pharisæis respondet , mortem sibi in Jerusalem esse subeundam ; quam sæpe voluerit instar gallinæ congregare. Ibid. v. 31. uique ad finem.

Ad prandium vocatus à principe Pharisæorum curat Hydropicum in sabbatho , quod similitudinibus sibi licere ostendit , docens convivæ , non aucupandum esse primum locum , nec invitandos esse divites , sed pauperes ac debiles. Subjicit parabolam Cœnæ magnæ , ad quam vocati excusant se variis prætextibus. Denique exemplo tum Ædificantis turrim , tum Regis bellantis explicat , quantum requiratur in eo , qui vult esse suus Discipulus. Luc. toto cap. 14.

Christus tempore Encæniorum , seu festi Dedicationis templi factæ à Machabæis die 25. mensis noni ambulans in porticu Salomonis , suam divinitatem disertè declarat. Quare eum ut blasphemum lapidare volunt Judæi ; verum Christus exiens de manibus eorum abiit trans Jordanem , in eum locum , in quo Joannes baptizari cœperat. Joan. 10. v. 22. 41.

Exindè murmurantibus Pharisæis & Scribis , quod peccatores reciperet , tribus parabolis , Ovis , Drachinæ & filii Prodigii eos refellit. Luc. toto cap. 15.

Christus trans Jordanem existens parabolam de Villico proponit Discipulis , persuadens hominibus , ut eleëmofynam largiantur ex opibus justè quidem acquisitis , iniquis tamen quia multiplicis peccati causa &c. Deinde per historiam de Epulone & Lazaro percellit incredulos , dicentes Sap. 2. v. 20. *non est qui agnitus sit , reversus ab inferis* ; nam hæc historia reversioni ab inferis æquivalet. Luc. toto cap. 16.

Interrogatus à Pharisæis quando venit Regnum Dei , seu Messie ? respondet dicens : non venit Regnum Dei , seu Messias cum observatione , id est splendore regio , quemadmodum eum venturum Pharisæi stolidè expectabant. Prædicat Discipulis venturos dies , quando præ nimia tribulatione & persecutione desiderabunt videre finem mundi & diem judicii. Per parabolam de Judice iniquitatis & Vidua impor-

tuna docet semper orandum ; per parabolam verò de Pharisæo & Publicano , quomodo sit orandum. Disputat cum Phariseis de matrimonii firmitate , divortio ac cælibatu. Luc. 17. a. v. 20. usque ad 14. cap. 18. Joan. 10. v. 41. & 42. Matth. 19. v. 3.-12. Marc. 10. v. 2.-12.

Post hæc vetat à se arceri parvulos , quibus manum imponens benedicit. In via dives Adolescens à sequendo Christo deterretur propositâ paupertate ; quâ occasione tradit , quanta divitibus sit difficultas intrandi in Regnum Dei , quanta felicitas futura eorum , qui propter Christum omnia relinquerint. Luc. 18. v. 15.-30. Matth. 19. à v. 13. usque ad finem. Marc. 10. v. 13.-32.

Eodem tempore adducit parabolâ Operantium in vinea Discipulos docet sæpe primos fieri novissimos & è contra , ut Matth. attexit cap. 20. v. 1.-16.

Christus in finibus Judææ adhuc constitutus accipit nuntium de infirmitate Lazari , quem cum sciret mortuum tendit in Bethaniam ubi eum quatrduanum suscitavit. Miraculi celebritate perculsa synagoga de Jesu perdendo deliberat ; ipse verò secedit in regionem juxta desertum , in civitatem , quæ dicitur Ephrem. Joan. 11. v. 1.-54.

Instante Paschate Jesus ascendit Jerosolyman. In itinere prædicit instantem passionem suam. Filios Zebedæi primos confessus ambientes corrigit. Tres cæcos in agro Jerechuntino illuminat , & in ipsa urbe Zachæum convertit , adjiciens parabolam de decem Mnis. Joan. 11. v. 55. & 56. Matth. 20. v. 17.-34. Marc. 10. v. 32.-52. Luc. 18. à v. 31. usque ad v. 28. cap. 19.

Tandem ante sex dies Paschæ venit Bethaniam , cænavitque in domo Simonis leprosi ; ubi Maria soror Lazari pretioso unguento perfudit caput & pedes Jesu recumbentis. Joan. 12. v. 1.-11. Matth. 26. v. 6. & seq. Marc. 14. v. 3. & seq.

In crastinum , hoc est *die Dominica* alinæ successivè & pullo insidens turbis acclamantibus , Hosanna in excelsis Jerosolyman ingreditur , deplorans tamen ante ingressum ejusdem urbis excidium. Templum deinde ingressus ejecit indè ementes & vendentes , ; curavitque infirmos , atque infantium aperuit ora. Interim Judæis freudentibus , Gentiles desiderant videre Jesum : quâ occasione glorificatur à Patre voce cœlitus delapsâ. Matth. 21. v. 1.-16. Marc. 11. v. 1.-11. Luc. 19. v. 29.-46. Joan. 12. v. 12. usque ad finem capitis.

Post hæc abiit foras extra civitatem in Bethaniam , manè autem hoc est *die lunæ* Bethaniâ revertens Jerosolyman maledixit ficui. Dein templum ingressus , ex eo iterum , ut multi volunt , ejecit ementes & vendentes. Tandem transfactâ in docendo die , rursus vesperi redit in Bethaniam. Matth. 21. v. 17.-19. Marc. 11. v. 12.-19.

Postridiè seu *die martis* cum rediret Jerosolymam Discipuli mirantur ficum jam penitus aruisse. Itaque docet eos vim fidei & orationis. In templum veniens ac de potestate, quâ populum doceret &c. interrogatus, perstringit Judæos, proponens inter alia parabolas de Homine habente duos filios, de Patre-familias elocante vineam agricolis, de homine Rege faciente nuptias filio suo sponso, per quas prædicit translationem regni Dei à Judæis ad Gentes. Hinc irati cum manibus eum capere non auderent, conantur capere in sermone obtundendo eum vafis quæstionibus, de censu Cæsari solvendo, de conjugio post resurrectionem (ubi ex loco Exod. 3. rectè probat resurrectionem mortuorum) de mandato maximo in lege: quibus solutis & ipse quæstionem proponit de Christo, si nempe sit filius David, quomodo Psal. 109. David ipse vocet illum Dominum suum: *dixit Dominus Domino meo*. Tunc, cum jussisset Phariseos tamquam supra cathedram Moylis sedentes à populo audiri, gravissimè invehitur in eorum vitia, octies *væ* ingeminans. Post hunc sermonem sedens contra Gazophilacium præfert eleemosynam Viduæ pauperis, duo scilicet minuta, muneribus Divitum. Jerosolymâ egressus sub vesperam perrexit in montem Oliveti; ubi sedens cum Discipulis suis, dat signa consummationis tam Jerusalem, quàm totius mundi; addens tamen, incertum esse diem adventus sui, adeoque omnibus esse vigilandum, adjunctis parabolis de Patre-familias domum suam contra furis insidias custodiende; de Servo fidei redditum Domini sui expectante; de decem Virginibus sponso suo cum lampadibus occurrentibus, de Domino talenta servis distribuente. His formam judicii generalis subjungit. Matth. 21. à v. 20. usque ad cap. 26. Marc. 11. à v. 20. usque ad cap. 14. Luc. 19. à v. 29. usque ad cap. 22.

Biduo ante Pascha hoc est *die mercurii* Principes Sacerdotum concilium ineunt de occidendo Christo. Cum illis paciscitur Judas Magistri sui prodicionem. Matth. 26. v. 1. & seq.; Marc. 14. v. 1. & seq.; Luc. 22. v. 1.-6.

Die jovis Jesus Christus sub vesperam secundam lunæ decimæ quartæ, quâ incipiebat prima dies Azymorum seu festum Paschatis, agnum Paschalem cum Discipulis suis Jerosolymis manducat: quo peracto lavit pedes Discipulorum, adjungens, quod unus ex duodecim ipsum esset traditurus. Postea Eucharistiam instituit seipsum Apostolis etiam Judæ comedendum tradens. Deinde prædictionem proditoris iteravit, & proditorem manifestavit, porrigendo illi buccellam panis usualis intinctam; quâ ille acceptâ, statim exivit traditionem magistri sui completurus. Hâc prædictionis occasione Discipuli contendunt inter se, quis eorum videretur esse major & consequenter à prodicione alienior; quorum studium præposterum, commendatâ eis humilitate, repri-

mit, addito mandato novo mutue dilectionis. Dein orac-
Christus pro fide Petri atque jactanti constantiam suam
trinam prænuntiat negationem. Post hujusmodi triste va-
ticinium humanissime consolatur & erigit Discipulorum
animos prolixo sermone, quem complevit oratione ad pa-
trem fusâ pro Apostolis & pro omnibus credituris. Prolixo
sermone finito egressus est cum undecim Apostolis trans tor-
rentem Cedron ad montem Oliveti. In via autem prædicit
omnes scandalum eadem nocte passuros. Dein cum tribus
transfigurationis testibus hortum Gethzemani ingressus cæ-
pit pavere & tædere adeò, ut fuderit verum sanguinem.
(Non patimur illos, qui Vulgatam in puncto mendosam
asserunt.) Tandem sub mediam noctem capitur à submissis
ministris duce Judâ. Fugiant Discipuli, fugit & nudus ab-
jectâ sindone Adolescens aliquis tumultu excitatus. Interim
Christus ligatus rapitur ad Annam, indeque ad Caipham;
ubi interrogatur, alaphâ percutitur à ministro Pontificis,
negatur à Petro, falsò accusatur à Judæis, damnatur à
congregatis principibus Sacerdotum, variisque demùm nocte
istâ afficitur contumeliis. Matth. 26. à v. 17. usque ad finem.
Marc. 14. à v. 12. usque ad finem. Luc. 22. v. 7.-65. Joan.
13. à v. 1. usque ad v. 27. cap. 18.

Die veneris mane à convocato Synedrio confirmatur sen-
tentia noctu lata. Traditur Christus Pontio Pilato præfidi.
Interim Christum ad mortem damnatum esse cernens Ju-
das, pœnitentiâ ductus, laqueo se suspendit, abjectis prius
in templum argenteis, quibus ager figuli emitur in sepul-
turam peregrinorum. Judæi autem de variis Christum apud
Pilatum acculant. Nihilominus Pilatus conatur Christum
à morte liberare. Ad Herodem missus reducitur. Tandem
flagellis cæsus, coronatus spinis, Barrabhæ postpositus à
Pilato, licet per uxorem suam præviè deterrito, cruci dam-
natur sub undecimam matutinam. Tunc milites duxerunt
Jesum ad montem Calvariæ, qui ab ibi decollatorum Cal-
varia dicebatur; ibique crucem, quam Symon Cyrenæus
angariatus tulerat, erexerunt; cui Jesum vestimentis, supra
quæ miserunt sortem, spoliatum quatuor clavis inter duos
latrones affixere circa horam duodecimam. Christum om-
ninò nudum in cruce pependisse, mihi imaginari non va-
leo. Mox tenebræ & quidem per totum qua latè patet Or-
bem sequuntur, usque ad horam tertiam pomeridianam,
circa quam prolatis tamen præviè septem verbis

U.C.	OL.	Æ.V.	T.A.	T.P.	Cfs.	CAJO RUBELLIO, CAJO FUS. GEMINIS.
782	202	29	16	19		
	I					

In medio Hebdomadis LXX. Daniëlis, moritur Chris-
tus anno ætatis suæ 33. per tres menses inchoato. Mor-
tem Christi mox sequuntur prodigia. Velum, subaudi, ex-

terius , templi scissum est ; terra mota , petra scissæ , sepulchra aperta sunt. Placet hic cum Euseb. Hieron. Nicephoro aliisque laudare , quæ habet Flavius Josephus lib. 18. antiq. cap. 4. ,, eodem tempore (quo Judæorum contra Pilatum in sibi expressa contigit seditio) ,, fuit Jesus vir , inquit Jos. ,
 „ sapiens , si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim
 „ mirabilium operum patrator , & doctor eorum , qui libenter vera suscipiunt : plurimosque tam de Judæis quam
 „ de Gentibus sectatores habuit. Christus hic erat (vertit Hier. Christus hic dicebatur) quem accusatum à nostræ
 „ Gentis Principibus , Pilatus cum addidisset cruci , nihilominus non destiterunt eum diligere , qui ab initio cœperant.
 „ Apparuit enim eis tertiâ die vivus , itaut divinitus de eo
 „ Vates hoc & alia multa miranda prædixerunt : & usque
 „ in hodiernam Christianorum genus ab hoc denominatum
 „ non deficit. ,, Interim , visis prodigiis , Centurio agnoscit
 „ Filium Dei : cæteri tundentes pectora sua revertuntur. Judæi verò propter instans sabbathum impetrant , ut crucifixorum crura frangerentur , quod sit latronibus non Jesu , quia
 „ jam mortuo ; sed lanceâ aperitur latus ejus. Tandem sacrum
 „ Jesu Corpus sepelitur circa sextam vespertinam , observantibus locum mulieribus. Matth. 27. v. 1.-61. Marc. toto cap. 15. Luc. 22. à v. 66. usque ad v. 55. cap. 23. Joan. 18. à v. 18. usque ad finem cap. 19.

Postridiè hoc est *die sabbathi* cum consensu Pilati Pharisæi sigillo muniunt os sepulchri , & custodes apponunt , ne furto sublatus resurrexisse diceretur. Vesperti verò , finito jam sabbatho , mulieres parant aromata , ut postridiè Corpus Jesu ungerent. Matth. 27. à v. 62. usque ad finem. Marc. 16. v. 1. Luc. 23. v. ult.

Primâ sabbathi seu *die nobis Dominicâ* summo mane resurgit Christus , resurgunt & multa Sanctorum corpora , ast iterum moritura. Pro hac sententia stant tres illi , qui considerantur tamquam tres columnæ Theologiæ , inquit Calmet , scilicet S. Chrys. inter Græcos , S. Aug. inter Latinos , & S. Th. inter Scholasticos. Maria Magdalene cum aliis mulieribus cum adhuc tenebræ essent venit ad sepulchrum , quod , cum vacuum reperit , consternata recurrit ad Apostolos. Advolant Petrus & Joannes , qui lustratis benè omnibus , redeunt. Relictæ ibidem Magdalene apparent Angeli , quare ploret interrogantes. Matth. 28. v. 1. & seq. Marc. 16. v. 2. & seq. Luc. 24. v. 1. & seq. Joan. 20. v. 1.-13.

Porro Christus post resurrectionem suam *in multis argumentis* act. 1. v. 3. apparuit multis *loquens de regno Dei* , id est rebus ad Ecclesiam pertinentibus. Pia sententia est , Christum redivivum primò apparuisse dilectissimæ matri : ,, quam
 „ quàm , inquit in hanc rem Jansenius Gand. , Dominus primò dicatur apparuisse Magdalene , pietas tamen

non parum suadet , ut credamus , Dominum prius apparuisse dilectissimæ suæ matri , licet eam prætermiserint Evangelistæ , quod ad confirmandam Filii resurrectionem inefficax esset matris testimonium. „ Ut ut est , inter eos qui resurrectionis testes erant futuri : *Primò* apparuit Mariæ Magdalene. Marc. 16. v. 9. Joan. 20. v. 14.-17.

Secundò apparuit mulieribus à sepulchro revertentibus Jerosolymam. Matth. 28. v. 9. & 10.

Tertiò apparuit Petro Luc. 24. v. 34. Item 1. Cor. 15. v. 5.

Quartò apparuit duobus Discipulis euntibus in Emaus. Marc. 16. v. 12. Luc. 16. v. 13. & seq;

Quintò apparuit Apostolis in Jerusalem congregatis , Thomâ absente , eisque , prius pace datâ , concessit potestatem remittendi peccata. Luc. 24. v. 36.-49. Joan. 20. v. 19.-25. Et hæ sunt quinque Apparitiones , quæ contigerunt in die Resurrectionis.

Sextò apparuit Discipulis octavo à Resurrectione die , præsentem jam Thomâ , cui vulnera tractanda offerens nostram fidem roboravit. Joan. 20. v. 26. & seq;.

Septimò apparuit septem Discipulis in mari Tiberiadis piscantibus. Præsentem cum eo Discipuli , Petroque ter interrogato , an diligeret se , totius Ecclesiæ curam committit Christus. Joan. cap. 21. & ult.

Octavò apparuit undecim Discipulis in monte Galilææ. Thabor fuisse communiter creditur. Eodem tempore *visus est plus quam quingentis fratribus simul* , ut scribit Paulus 1. Cor. 15. v. 6. atque hæc omnium celeberrima Domini manifestatio est. Matth. cap. 28. & ult. v. 16. usque ad finem.

Nonò apparuit undecim Discipulis *recumbentibus*. Marc. 16. à v. 14. usque ad 18.

Decimò apparuit in monte Oliveti ipso Ascensionis die , non jam in terra , ait S. Th. 3. p. q. 55. a. 3. ad 3. , sed elevatus in nube , cum in Cælum ascenderet , nobis locum , ut confidimus , in æternum paraturus. Luc. 24. & ult. à v. 50. usque ad finem. Marc. 16. & ult. v. 19 & 20.

*Ad majorem Dei , Deiparæ Virginis Mariæ ,
S. P. N. Dominici , S. Thomæ Doctoris
Angelici , omniumque Cæli gloriam
& honorem.*


{ F. AMBROSIUS SCHMISING , S. T. Præf. &
Regens Semin. Episcop.

vid. { F. ANTONINUS CROUS , S. Theol. Præf. & in
Semin. Episcop. Subregens.


{ H. GIELEN S. T. L. Lib. Cens.

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale



Centimetres



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

